

vulgò persuaserat , inde spei plenus digrediebatur ad agēdas res: Idque in multis bellis repletis spe militibus , quasi ex cælo promissis, prosperis euētibus ad victoriam contulisse notum est: Imitatum opinari trium quos paulò ante retulimus exempla, non alienum est.

DE ASTVIA. Cap. II.

Q. F. MAXIMVS.

VT apud Ciceronem scriptum est, callidum Hannibalem ex Pœnorūm , ex nostris Ducibus , Q. Fabium maximum accepimus , facilem celare, tacere , dissimulare, insidiari, præripere hostium consilia , addit & aliorum nomina , quos apud Graios huiuscemodi artibus nobilitatos refert, in quibus Themistoclem & Solonem , possem multos superaddere , nisi curiosi & ociosi pariter esset ingenij, vniuersa conquirere, præcipue quorum explicatio sub bellicis cautelis erit opportunior : nunc pauca de tranquilliore quorundam ex his Ducibus solertia expediam. Atque ut à nostris more solito incipiam. Q. Fab. Maximus Lucanum equitem , ac Romanum peditem , duos eō tempore fortissimos bellatores , cæterum suo quemlibet vitio laborans,